

ille, et in his quidem quosdam valde memorabiles, neglexerat. Scripturae diversitates non omnes quidem, sed quae notatu digniores viderentur, aut aliquid utilitatis habere possent, commemoravi. Ac praeter libros, quibus Brunckius et Erfurdinus usi sunt, habui duos codd. Lipsienses, de quibus dictum ad Aiacem; duos Moscovienses, quos Matthaeius cum editione Johnsoni contulerat, quorum lectiones descripsi ex eo exemplo in bibliotheca Regia Dresdensi. Harleiani codicis scripturas suppeditarunt Adversaria R. Porsoni. Duorum, sed non optimorum codicum lectiones, quibus Livineius usus fuerat, praebuit Britannorum Diarii classici volumen XIV. Ex editionibus quum alias veteres, tum maxime Aldinam, et utramque Iuntinam adhibui. Ac secundam Iuntinam, quae valde rara est, et nonnihil a priore discrepat, Beigelii, V. Ill. humanitate e bibliotheca Regia Dresdensi commodatam accepi.

Caeterum si qui forte sint, qui plura ad interpretationem rerum ac verborum afferri potuisse existiment, hi velim meminerint, iure postulari posse, ut, qui